



Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

7. Vtrum conferat gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

conferri ante baptismum, non autem sacramentum confirmationis: sicut enim effectus confirmationis, qui est robor spirituale, praesupponit effectum baptismi, qui est iustificatio, ita sacramentum confirmationis praesupponit sacramentum baptismi.

Super Quaestione 82. Articulum septimum.

ARTICULUS VII. *Utrum per sacramentum confirmationis conferatur gratia gratum faciens.*

AD SEPTIMUM sic proceditur. **V**t patet per hoc sacramentum gratia gratum faciens non conferatur. Gratia gratum faciens, non ordinatur contra culpam: sed hoc sacramentum (sicut dicitur est) non exhibetur nisi baptizatis, qui sunt a culpa mundati, ergo per hoc sacramentum, gratia gratum faciens non conferatur.

¶ 2 Præ. Peccatores maxime indigent gratia gratum faciente, per quam solum iustificari possunt, si ergo per hoc sacramentum gratia gratum faciens conferatur, ut quod deberet dari hominibus in peccato existentibus: quod tamen non est verum.

¶ 3 Præ. Gratia gratum faciens, specie non differt, cum ad unum effectum ordinetur: sed duae formae eiusdem speciei non possunt esse in eodem subiecto, cum ergo gratia gratum faciens conferatur homini per baptismum, ut quod per sacramentum confirmationis, quod non exhibetur nisi baptizato, gratia gratum faciens non conferatur.

SED CONTRA est, quod Melchisedes Papa dicit, spiritus sanctus in fonte baptismi, plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum praestat ad gratiam.

RESPON. Dicendum, quod in hoc sacro (sicut dictum est) datur baptizato Spiritus sanctus ad robur, sicut apostolis datus est in die Pentecostes, (ut legitur Act. 2.) & sicut dabatur baptizatis per impositionem manus apostolorum, ut dicitur Act. 8. Ostensum est autem in prima parte, quod missio seu datio Spiritus sancti, non est nisi cum gratia gratum faciente: unde manifestum est, quod gratia gratum faciens conferatur in hoc sacramento.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod gratia gratum facientis primus effectus est remissio culpe: habet tamen & alios effectus: quia sufficit ad hoc, quod promoueat hominem per omnes gradus usque in vitam aeternam, secundum illud Rom. 6. Gratia Dei vita aeterna: unde & Paulo dictum est 2. Cor. 12. Sufficit tibi gratia mea. Et ipse dicit 1. Cor. 13. Gratia Dei sum

id quod sum: & ideo gratia gratum faciens, non solum datur ad remissionem culpe, sed etiam ad augmentum, & firmitatem iustitiae. Et sic conferatur in hoc sacramento.

AD SECUNDUM dicendum, quod sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum, quod prius inuenerit, & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam, & propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis. unde dicitur in Aurelianensi concilio, ut ieiuni ad confirmationem ueniant, ut moneantur confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere. Et tunc, per hoc sacramentum perficitur poenitentiae effectus, sicut & baptismi: quia per gratiam collatam in hoc sacro, consequitur poenitens plenior remissionem peccati. Et si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, uel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non factus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequitur remissionem peccatorum.

AD TERTIUM dicendum, quod (sicut dictum est) gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam, aliquid effectum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum. si ergo consideretur gratia in hoc sacramento collata, quantum ad id quod est commune, sic per hoc sacramentum non conferatur aliqua alia gratia, quam per baptismum: sed quae prius inerat, augetur: si autem consideretur quantum ad illud speciale quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa.

ARTICULUS VIII. *Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum.*

AD OCTAVUM sic proceditur. **V**idetur quod hoc sacramentum non sit omnibus exhibendum. Hoc enim in sacramento ad quandam excellentiam datur, ut dictum est: sed id, quod ad excellentiam pertinet, non competit omnibus: ergo hoc sacramentum non debet omnibus dari.

¶ 2 Præ. Per hoc sacramentum augetur aliquis spiritualiter in perfectam aetatem: sed perfecta aetas repugnat aetati puerili: ergo ad minus pueris dari non debet.

¶ 3 Præ. Sicut Melchisedes Papa dicit, post baptismum confirmamur ad pugnam: sed pugnam non competit mulieribus, propter fragilitatem sexus: ergo nec mulieribus hoc sacramentum dari debet.

¶ 4 Præ. Melchisedes Papa dicit, quod quamuis continuo transitorius, sufficiant regenerationis beneficia, uicturis tamen, confirmationis beneficia necessaria sunt: quia confirmatio armat, & instruit ad agones mundi huius & praemia reseruandos: qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus peruenerit ad mortem, confirmatur morte: quia iam non potest peccare post mortem, ergo statim moriturus non

Habetur de consec. d. 5. c. vii. tenuit. D. 380.

62. art. 2.

Alias spiritualis.

Super Quaestione septuagesima secundae Articulum octauum nonum, & decimum, & undecimum.

4. dist. 7. q. 3. art. 2. q. 2. & 3. c. d. 25. q. 2. art. 1. quae sitio. cor. Art. 2. huius quae. ad 2. & art. 4.

In epist. ad Hispa. epist. a medio illius tom. 2. Concilio loco nunc proximo meitato, & habetur de consec. d. 5. ca. Spiritus sanctus.

et ad hunc modum dicitur in eodem articulo, quod hoc sacramentum, & hoc tenemus auctoritate beati Gregorii in c. peruenit 95. dist. 11. quod hoc est mirabile circa ministrum huius sacramenti, quod episcopus est ita minister proprius confirmationis, quod a non episcopo facta nulla est, & in ex dispensatione apostolica non episcopus.

In respo. ad hunc articulum, nota hic dictum in littera pro omnibus sacramentis, quod accessus ad sacramentum cum peccato, uel quia eius conscientiam non habet, uel quia non perfecte contritus, gratiam ex sacramento consequitur in remissionem peccatorum. Et intelligo hoc de peccato mortali: quonia de uenialibus non oportet habere conscientiam particularem: hoc est enim quod consuevit dici virtute sacramenti fieri de aeterno contritu: hoc est paruum secundum propriam conscientiam, charitate informari: quod tunc tantum sicut ex sacramento mouetur mens suspiciens sacramentum in actuali operationem in Deum seu peccatum: non enim regulariter infunditur aut augetur gratia in aeterno nisi concurrente actu nouo liberi arbitrii: quoniam sic exigit lauas dispositionis diuinae gubernationis, ut ex his quae in prima secunde de iustificatione impij dicitur, habere potes, & inferius cum de sacramento poenitentiae tractabitur. In eodem articulo in respo. ad tertium memento repetitur dictorum de gratia sacramentali, & intelliges quae hic dicuntur: gratia siquidem gratum faciens extendit ad firmandum Christum ut libere conuincatur, secundum essentiam gratiae, est eandem speciem cum gratia collata in baptismo: sed secundum auctum firmitatis procedentis a gratia (quod gratia sacramentalis uocatur) specie differt a gratia baptismali.